



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XIX. Liberalitas, Liberalis. v. supra Donatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

III.

Libellus est iudicii fundamentum, ad quod omnes actus regulari debent. Scacc. *de iud. caus. civil. cap. 5. n. 25*. Præcipue locum habet hæc regula in actis principalibus veluti litis contestatione, probatione, & sententia. Latè & eleganter eam explicat Summus Jctus Carpoz. *decis. 49. n. 15. & seqq.* ubi ostendit ejus utilitatem & effectum, quod nempe iudex non debeat attendere, quæ in termino probatorio deducuntur, nisi venerint in libellum conventionis, quia iudicem debere formare sententiam ex intentione Actoris & responsione rei: licet partes clausula salutari, *se omni meliore jure id petere, usæ sint.*

CAP. XVIII.

De Libello famoso.

Quoties injuria literis comprehensa speciale delictum non continet, toties libellus non est famosus, sed dicitur injuria scripta.

Ratio: quia formalis differentia libelli famosi ab injuria scripta consistit in specialis & notabilis delicti imputatione. Est igitur saltem injuria scripta, si quis ad infamiam alterius cornu vel aliud quid pingat in janua ejus. Carpz. *in prax. Crim. q. 98. num. 54.* secus si quis homicidii vel adulterii alterum incuset.

CAP. XIX.

Liberalitas, Liberalis.

v. *supra* Donatio.

Axioma I.

Liberalitas virtutum omnium est gratissima. Polycrates *lib. 8. cap. 15.* ad dilectionem enim & amicitiam homines facit promptissimos Azeved. *ad constit. Hispan. lib. 5. tit. 9. n. 1.* Joh. Roding. *de jur. Majest. verb. largum. n. 4.* Rayn. Corfet. *de indag. jur. lib. 3. cap. 13. n. 13.* Thomas Actius *de Lud. Scachor. quest. 11. n. 3.* Nolden. *de stat. nobil. cap. 2. n. 30. §. 5.* & consistit in animi voluntate ab avaritia aliisque vitiis libera, laudem donanti tribuens, Pacian. *conf. 112. n. 23. gloss. in l. 1. verb. liberalitatem. ff. de donat.* Excitat magis ad obsequia, quam ad insolentiam, *l. 1. vers. nam qui. C. de revoc. donat.* Just. Mejer. *in disp. de donat. simpl. thes. 93.* siquidem ex hac cognoscitur nobilitas ac summi Principis generositas, *cap. 1. de don.* Vult. 3. *conf. Marpurg. 35. n. 89.* Uti igitur Imperialis fortuna omnes supereminet alias: Ita oportet principales liberalitates culmen habere præcipuum, *l. cum multa 7. C. de bon. quæ liber.* Unde Baldus *in l. 5. in legatis. in fin. C. ad Leg. Falcid.* ait proprium Principis esse, quod sit liberalis & gratiofus, *l. 1. in fin. C. de Caduc. toll. Dec. in cap. 1. num. 36. extr. de probat.* & præclare Titus Imperator, non oportere quemquam è facie & sermone Imp. tristem recedere; nuper etiam Romæ in monte Qvirinali & foro Trajani inventa sunt multa marmoris frusta, variis signis cæolata, in quorum uno hic erat titulus: POTEN-

TISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA; prout refert Bartholom. Martian. *in Topograph. urb. Rom. lib. 4. cap. 22. add. & Tiraquell. de nobilit. cap. 37. num. 40.* Conf. Arg. 1. *conf. 24. n. 61.*

II.

Liberalitatem captiosam interpretatio prudentum semper fregit, *l. 5. ff. de transact. Gædd. 3. conf. Marp. 26. n. 66.*

III.

Liberalitas sua nemini debet esse damnoſa, *l. si vir. 3. ff. pro donat.* nec ullus ex liberalitate sua inops factus periclitari debet, *l. ne liberalitate 50. ff. de re judic.* ideoque mitius agendum est cum his, qui ex liberalitate sua conveniuntur, ne beneficium fiat ipsis onerosum, *per l. 62. ff. de edilit. edict. l. 7. ut legat. nom. cav. Mynf. cent. 5. observ. 36. num. 2.* Coll. Jur. Arg. *in tit. usufr. quædam. cav. ib. 3.* aliquando tamen liberalitas impune non exercetur, quoties scilicet mali exempli causa est, *l. 5. C. de metat. lib. 12. add. Carpoz. 4. conf. 33. n. 6. & 13.*

IV.

Liberalitas nolenti non acquiritur, nec liberalitas in alium collata reputatur & præsumitur ex antecedente profectâ *l. nec adjecti 9. ff. pro soc.* quod intellige, si scilicet talis donatio non esset prohibita, Costal. *ad d. l. 9. pro soc.* sicuti etiam nec liberalitas ex multiplici servitii præstatione cum diuturnitate temporis conjuncta, maxime ubi adest qualitas personæ, sed potius ex causa debita servitium esse præstitum præsumitur, Baldus & Alvarot. *cap. 1. §. si verò quid sit investit. Alex. in prelud. feud. col. 17. vers. 15.* Bald. *in l. si certis annis. colum. ult. Cod. de pact.* Henning. Gæden. *conf. 5. de probatione aliis 48. n. ult.*

V.

De alieno largiri liberalitas non est. Unde proverbium: *De tuo largitor puer.* Fundamentum tamen hujus regulæ vide *in l. 83. de V. O.* Elegans exemplum occurrit in officialibus, qui ex corio alieno (ut dicunt) & fisco Principis liberales esse non debent, vid. *l. 1. f. 10. & ib. Hottom. l. 4. de decret. ab cred. ju. furti enim species est, ex alieno beneficii debitorem acquirere, inquit Jctus in l. 54. §. 1. ff. de fur.* Hinc magistratui prohibitum sine principis consensu salaria constituere. Perez. *in l. un. C. de præbend. salar. n. 1.* hinc Marcianus aurum & argentum in plebem spargere consiliis prohibuit, ne aurum populi captando patrimonium exhaurirent *l. 2. C. de Consul.* Justinianus autem iis *Nov. 105. cap. 2.* permisit, cum restrictione tamen ad monetam argenteam minutam, & ad certa tempora. Perez. *C. de Consulib. n. 16. seqq.* quæ permissio tandem à Leone in *Nov. 94.* iterum sublata penitus est.

VI.

Largitiones faciendæ à principe in bene meritos, sed cum mensura. Perez. *C. de Canon. Largit. tit. num. 12.* sic enim Imperatores Romani quotidie magnam quantitatem annonæ inter cives distribuiebant, ut & inter scholares armatarum *l. fin. C. Locati l. 1. 2. C. de annon. civilib.* hodie tales panes in milites distribuuntur. Debet autem

autem princeps anteriorem liberalitatem augere, & pauperibus civibus, ne egeant, providere Perez. C. de annon. Civil. n. 1. seqq. & ad Tit. C. de frument. Alexandr. n. 2. Ex adverso oblationibus principi faciendis modus statutus est, ne libram auri excedant. l. un. C. de Oblat. vor. Est & senatorum & aulicorum cupiditas, varias à plebe affectantium oblationes refrænata. Perez. C. de oblat. vor. n. 4. §. 6.

VII.

Liberalitas tandem transit in necessitatem; negari enim non potest, ea, quæ pridem officia humanitatis & beneficentiæ fuerunt, successa temporis usurpatione & potentiorum impressionibus in necessitatem transiisse. Brunnem. ad l. §. C. de Agricol. & Censit. in fin. C. de oblat. vor.

VIII.

Liberaliores plerumque morientes sunt, quam viventes, Cujac. in parat. C. de inoff. testam. add. §. un. Inst. de L. Pus. Can. toll. §. ult. qui & ex quib. caus.

IX.

Liberalitatem nemo respuere censetur. Jul. Clar. & Hartm. Pistor. citat. à Carpzov. lib. 5. conf. 62. num. 13. Unde concludit donationem valere, si specialiter per nuncium significetur, licet non expresse acceptetur, ut ut aliàs acceptationem requiri statuat cum Guid. Pap. decis. 21. num. 2. Goldbeck. de Gerard. cap. 7. membr. num. 10.

X.

LIBERALIS nemo existit in necessitatibus, l. cum legatum 18. ff. de adimend. legat. Tiraq. in l. si unquam. verb. donatione largitus. num. 106. C. de revocandis donat. Gam. Lusitan. decis. 71. num. 3. Valasc. conf. 53. num. 24. Pichard. ad rub. Instit. de adoptionibus. n. 43. Stephan. Gratian. discept. forens. tom. 4. cap. 796. num. 27. & tom. 5. cap. 925. num. 9. Joan. Anton. Mangil. de imputat. qvæst. 15. num. 36. Hermosil. l. 56. gloss. 4. num. 87. tit. 5. part. 5. Anell. Amat. conf. 45. num. 24. & consil. 97. num. 39. Declarationis loco nota, huius axiomatis non esse hunc sensum, quasi liberalitas non sit, quæ in necessitate fit, sed istum potius quod nemo prudens dum cum premit egestas donet. Nemo enim donat propter necessitatem rei familiaris, ut ea se liberet dum donat. Cujac. 19. q. Pap. ad l. 67. §. 1. de legat.]

XI.

LIBERALITATEM non dicitur exercere, qui debitum solvit, l. proximè 50. ff. de ritu nupt. l. si servo 64. ff. de hered. instituend. Sard. de aliment. lit. 1. qvæst. 108. n. 5.

CAP. XX.
Liberatio.

Axioma 1.

Liberatio non potest esse si prius non fuit obli-

gatio. lib. 116. ibi: non liberatur Mævius qui nec tenebatur, conf. Bartol. in pr. de V. O. Bellon. in tract. de argument. cap. 12. arg. à privat. ad habit. Nicol. Everhard. in Top. præd. loc. Gylman. 2. p. 2. tit. 11. vor. 4. n. 65. p. 237. Rosfred. Benevent. in qvæst. Sabbatin. q. 30. n. 11.

II.

Per liberationem generalem dolus non censetur remissus, Bart. in leg. Aurelio. §. 1. ff. de libem. legat. n. 6. Bald. post. gloss. in l. cum necessitate. C. de fideicom. Caltrenf. conf. 369. Parif. conf. 80. n. 54. lib. 2. conf. 88. num. 40. lib. 1. Dec. conf. 178. n. 1. Regn. Sixtin. 3. Conf. Marp. 12. n. 19. Gylman. 4. 1. vor. 17. n. 32. Si quidem indubio in qualibet liberatione etiam generali interpretatio fieri debet, ne extendatur ad ea, in quibus est læsio vel captio, l. obligatione generali 6. ff. de pignor. l. Aquiliana 4. l. cum Aquiliana 5. ff. de transact. Alex. conf. 46. n. 8. lib. 1. per l. tres fratres 35. ff. de pact. imo ea ita restringenda quantumvis geminata, ut civilem & iustum recipiat intellectum. l. 1. l. qui generali. 13. C. de SS. Eccl. l. 1. ff. de eo quod cert. loc. l. 1. §. 1. ff. de constit. pecun. l. fin. C. de censit. & reliq. Bald. in l. 2. C. de fid. instr. Mascard. de probat. conclus. 1252. num. 9. neque liberationem etiam generalem trahi ad actionem realem, concludunt Dd. argum. leg. 18. de accept. ut nec ad incogitata, l. 4. & 5. ff. de transact. Masc. de probationib. concl. 1252. n. 2.

III.

Liberari ab obligatione species est lucris. l. si pupilli 66. ff. de solut. l. species 11. ff. de accept. Anton. Fab. in C. lib. 4. tit. 42. de fin. 31. num. 4. Carpz. 4. constit. 46. de fin. 29. num. 5.

IV.

Liberatio reducenda ad causam in ea expressam. Mascard. de probation. conclus. 1252. num. 28. per cap. cum cessante de appellat. Bald. in l. iubeamus. C. ad SC. Vellej. Socin. conf. 24. col. 5. vol. 1. Verba enim generalia restringuntur semper ad res & causam prius specificatam. l. si de certa 31. ubi Jaf. n. 2. C. de transact. l. legatorum 33. num. 1. ibique Bart. ff. de legat. 2.

Limita, nisi contra eam causam contrarium de mente contrahentium appareat. Regn. Sixtin. 3. Conf. Marp. 12. n. 45. Parif. conf. 88. n. 46. lib. 1.

V.

Iisdem modis quibus obligamur, iisdem ferè & in contrarium actis liberamur. Fundatur hæc regula in l. 13. de R. I. ratio, quia hic modus est naturalissimus, ut unumquodque eodem modo dissolvatur, quo fuit colligatum. l. 35. l. 100. ff. eod. l. 80. de solut. Verum obstat quod omnes, sive re, sive verbis vel literis celebrentur, ne possint dissolvi præter d. l. 80. vid. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. Unde declarationis causa notandum, hanc regulam nunquam poni exclusivè, sed tantum positivè, adeoque & alios modos præter hunc naturalissimum admittere: obijciunt etiam nonnulli exemplum nuptiarum, quæ nudo consensu ineuntur, non itidem dissolvuntur. Sed facilis est responsio, in copulandis matrimoniis consensum divino humanoque jure roborari, unde sine eorundem jurium ratione mutuo dissensu rectè & secundum hanc regulam non dissolvi.

VI. Ad